

PRO ÆCONOMIA POLITICA
 CHRISTIANA
APOLOGETICA DISSERTATIO,
 QUAM
 AD SOLEMNEM STUDIORUM
 INAUGURATIONEM
 IN CENTRALI DIVI CÆCILII

SEMINARIO,
 hujus archidiececeseos unico conciliari.

HABUIT

Dr. D. Narcisus Martinez Izquierdo,
 EJUSDEM SEMINARII PROFESSOR,

Unio. Dno. Governatore Eccl. S. P.

Præsidente,

ANNO 1871.

De istius licentia et mandato.

GRANATÆ.

TYPIS DOMINI HIERONYMI ALONSO.

L. P. 1871

BIBLIOTECA
G. F. NAB
Sala: C
Estante: 204
Número: 154 (24)

0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21

2 000 40

Safra

A Mendocino - C. O. Paja - 16 Feb 92 - 5

Commissio Unive. Mariae	
Class.	B
Estans	18
Número	23/92

ORATIO INAUGURALIS.

BIBLIOTECA HOSPITAL EAL
GRANADA

Sala:

C

Estante:

001

Numero:

054 (24)

A Mendocino - C. Rojas - 16 Feb 92 - 5

POLORETICA DISSERTATIO

AD SOLEM PROMOVENDUM

IN CENTRALI DIVISIONE

Commissio Universitatis	
Classis	B
Estansio	18
Numero	23(99)

ORATIO INAUGURALIS.

ORATIO IN AGRARIIS

R/24077

PRO ÆCONOMIA POLITICA
CHRISTIANA
APOLOGETICA DISSERTATIO

QUAM

AD SOLEMNEM STUDIORUM

INAUGURATIONEM

IN CENTRALI DIVI CÆCILII

SEMINARIO

hujus archidicæceseos unico conciliari,

HABUIT

✠ R. ✠ NARCISUS MARTINEZ ✠ ZQUIERDO,

EJUSDEM SEMINARII PROFESSOR.

Ilmo. Dno. Gubernatore Ecco. S. P., Praesidente,

ANN. 1871.

De istius licentia et mandato.

GRANATÆ.

TYPIS DOMINI HIERONYMI ALONSO.



1871

PRO AERONOMIA POLITICA

CHRISTIANA

APOLOGETICA DISSERTATIO

QUAE

AD SOLVMNM STUDIUM

MATHEMATICARVM

IN CENTRALI DIVI CECILII

SCOLA

INSTITVTIONIBVS SVIS SVBIECTA

EST

AVCTORE CAROLO WILHELMO WILHELMO

PHYSICAE PROFESSORE

IN SCOLA CENTRALI DIVI CECILII

ANN. 1871

IN SCOLA CENTRALI DIVI CECILII

GRATIA

TYPIS DOMINI HEROLDI ALBANI



ILLME. DOMINE.

I.

Convenientibus nobis hodie, ut, postquam æstivo sole quievimus, sub Præsule nostro novi cursus litterarii in hoc centrali Seminario, hujus diœceseos conciliari capiamus initium; communis abs dubio sensus inest, ut mala quæque Sanctæ Dei Ecclesiæ ingruentia, multiplices errores in religionis perniciem undique pullulantes et reprobemus, et intimo corde doleamus.

Hæc autem exitialis clades multum abest, ut dissipetur; quin potius in dies ingentior videtur evasura, uti ex his, quæ in præsentiarum accidunt, conspiciere licet. Non igitur abs re, dum de doctrina catholica et de Seminarii nostri processu sermo instituitur, sensum hujusmodi palam facere, ut animos mutuò inter nos refoventes, majorem vigorem atque alacritatem, ut in acceptis propositis firmiter perseveremus, exinde concipiamus.

Sæva equidem tempestate jactamur, et terribiliore forsitan nobis imminente, non ideò aut intractabile mare, ut omnis præcludatur portus, aut implacabile cœlum, ut denegetur auxilium, est nobis timendum.

Perpensis malis, quibus affligimur atque affligi possemus, non animum despondeamus oportet, sed, si sacris licet profana mancipare, cujusque aures resonare et usque ad ima cordis penetrare debet illud, quo Eneæ animum magnis perfuncti periculis et de gravioribus manentibus moniti Cumæa Sybila erigebat, dicens:

*Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
Quam tua te fortuna sinet.....*

Si in mundo præssuram pro Christi nomine habemus, confidamus necesse est, quia Christus vicit mundum, et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.

Et re quidem vera, si fides vigeat, quam plurima nobis suadent, ut in veritatis defensione indefessi laboremus, de exitu nihil pertimescentes. Ut triumphum securi expectemus fide promissa, de causæ rectitudine et de veritate doctrinæ firma certitudo, de majori Ecclesiæ post persecutionem gloria constans experientia, hæc aliaque vehementer nos excitant.

Sed is qui omnia in sapientia fecit, atque disposuit, qui solus mala in bona vertere potens est, nostris temporibus ita splendidum superexcellentiæ doctrinæ catholicæ argumentum præbuit, ut vel solum nostram religionem tamquam exclusivam ad progrediendum viam, ut unicam ad intelligentias illuminandas lucem irrefragabiliter statuere valeat.

Cum ultimos et quidem amarissimos fructus semina ab inordinate libertatis amatoribus jacta, effundere incipiunt, arduum certe atque formidabile de divitiarum distributione, de proprietatis jure, de differentia divites inter et pauperes existente problema fuit in medium prolatum, magnaque contentione exorta, utramque par-

tem sustinentes, licet á catholicismo maxime abhorreant, quiquid veri ac salutaris in systemate á se professo deprehenditur, in doctrina, quæ traditione in Ecclesia viget, contineri fateantur necesse est. Dum conquisitis ac temperatis verbis utopias suas paëtexere, primo intuitu multis fucum facere potuerunt, nunc verò cum res usque adeo sit progressa, ut de societatis salute et existentia agatur, nullum effugium, nulla tergiversatio locum habebit: vel catholicismus, vel totius mundi socialis ruina.

Hoc vestros ob oculos ponere est mihi in votis, et faxit Deus, ut succesus juxta propositum evadat. Favete.

II.

Sola veritas semper et ubique impugnatur. Error ex sui natura dissimilis atque caducus cum sit, non subsistens, non sibi constans neque unus idemque inter certamina permanere potest. Aliunde verò sola veritas ex dimicatione proficere potest; error é contra conflictus numquam sustinuit. Discussio quæ adversus veritatem movetur, semper tamquam scandalum considerata, quod moventibus crimini verti debet; attamen tanta est veritatis præstantia et indefectibilitas, ut vel ex oppositione commodum ei possit evenire.

Persecutionum effectum Ecclesia potentiam et stabilitatem omnibus manifestam prætulit, contradictionum occasione fœcundissimum doctrinæ germen evolutum est, adeò ut in catholicismo evidens illa fuerit lex effecta, nempe apud homines ignorantiae et passionibus obnoxios, veritatem semper obnubilatam et abstrusam manere, quæ non nisi percussione sicut ignis, qui ex silice excutitur, ordinaria ratione lucere possit.

Hac igitur de causa ubi primum evangelica doctri-

na in mundo palam prodiit, non cum præsentis solùm, sed cum antea acti temporis etiam erroribus, ei fuit dimicandum. In signum, cui contradicendum erat ex Servatoris nostri sententia, inter mortales posita, sectæ ipsam profitenti juxta Tertuliani effatum ubique resistebatur. Revelatio siquidem nihil aliud quam rationem humanam perficere, ac tutam reddere præstans, quidquid boni sensus á generationibus præteritis fuerat admissum, in se concludebat, et omnes aberrationes ipsi erant reprobandæ atque debellandæ. Quemadmodum á sæculis præteritis quidquid veritatis reliquum erat recipere, sic omnes aggressiones, quæ in veritatem fuerant suscitatae, comprimere quasi ex hæreditate ei onus venit. Hoc constanter comprobatur factis; nullatenus enim humana mens, aut á veri linea deflectere, aut vel levem ad obicem, quo fides aut mores lædantur, potest offendi, quin á catholica scientia atque disciplina statim admoneatur.

Hinc fit, ut, cum hæc veritas quoquo versus constet, ab erroribus, qui undequaque proficiscuntur, impetatur necesse est. Hoc inter plurima ei ab hæresibus discrimen; nam error, in eo tantum contentionem sustinere cogitur, in quo á doctrina communi discordat, cæteris ei in tuto positis, et quod novum inducit, illud tantum tueri ipsi incumbit. Vera tamen doctrina, cum universalis esse debeat, omnia complectitur, universim ab errore impetus patitur, quin immo non novum, si errores eodem fonte orti, et á nostra doctrina in eodem discrepantes, postea inter se dissociati ipsam media ac patenti via semper tranquillam progredientem contraria ratione aggrediantur. Hoc certè in quæstione, ut dicitur, sociali vel ei qui levissimè res considerare soleat, facileprehendere licet.

III.

Tam individualismus quam socialismus, eadem via, ex auctoritatis divinæ nimirum negatione, á catholica doctrina defecerunt; et per fictionum regionem, quasi per loca árida et inaquosa ambulantes, nullibi tamen inveniunt requiem, omnia moliuntur, omnia pertentant, atque humanitatis redemptores cùm se profiteantur, quin de genere virorum sint, per quos salus facta sit in Israel, strenuè demùm, licet incasum, laborant, inter se congregientes, ut de proprietatis jure incontrovertibilem sententiam, ac de opibus distribuendis supremam firmamque legem edant. Sed utpote ad solutionem semper desiderandam condemnati, Philosophiæ ac Moralium catholicæ præscriptiones parvipendunt, quin potius nostram doctrinam continuò explodunt; quasi hæc repudiata, tutior pateat via, ut ad expeditam solutionem perveniant. Sed rem altiùs aperire præstat, ut ex ordine nostra procedat oratio, et amplior atque facilius cognitio haberi possit.

Non facilè Petro Scavini socialismum cum radicalismo confundenti, et radicalismum á communismo derivanti, videtur assentiendum. Communismus qui jus proprietatis sicuti et socialismus, qui præterea jurisdictionis vel imperii jus denegat, inter illa commenta, quæ exitialia sunt, atque *ex radice* pénitus societatem subvertunt, ammandandi; sed radicalismi quoque naturam induit hodiernus individualismus, qui ultimas consecutiones á communistis atque socialistis ex radicalismo deductas comprimere nititur.

¡Mirum spectaculum insignisque vecordia! Individualistæ atque communistæ, cum socialistis inter se disputant de peragenda humanitatis á miseriis quibus-

cumque redemptione, et nihilominus unicam quæ homines ab angustiis et doloribus recreare valuit, doctrinam, principia, quibus omnis societas subsistit, atque omnis verus profectus obtinetur, veritatem nempe catholicam de medio tollere, omni nixu contendunt. De temporali bono tantum solliciti, spiritus necessitates, quæ in homine certè præcipuæ sunt, exinde prætermittunt, nam si et illustrationem et moralitatem proclamant, corporis tantum commodo inservire volunt.

IV.


Cùm labor et industria, tamquam unica divitiarum origo ex hominis parte censeatur, socialistæ sive communistæ ævi hujus, totis viribus insistunt, ut industriam operamque omnium in commune ordinent ceu organisent, quemadmodum ipsi loqui amant. Perniciosam et exitialem in humano commercio omnem ducunt competentiam aut concursum, ut laborem et copias inter se commodent vel vendant. Hominibus organizatis et unoquoque functionem suam et munus sibi demandatum exequente, qui peritiores sunt operas dirigunt, et qui optimi, productum aliis pro merito dispensant. Cùm autem plus minusve quisque possit accipere, et copias suas fas non sit in solidum administrare, nonnulli associationem generalem ex necessaria in voluntariam vertunt, ad quam omnes tamquam imponentes concurrant, atque tam committentes quam mandatarii omnes evadant. Hoc est novissimum à Prudhon *in problemate sociali* resolutum adinventum.

Individualistæ autem, ad malitiam, cui homo frequenter obnoxius est, habito respectu, illam associationem generalem, quæ status civilis vices gerat, non admittunt; jure merito verentes, ne qui semel egemonia

sive suprema directione fuerint potiti, omnes societatis copias in proprium commodum applicarent, atque sibi suisque adscribere in perpetuum conarentur; ex quo fieret, ut dum inæqualitates omnes extinguere intenditur, pauca sed immensa, atque supramodum odiosa tandem crearentur privilegia. Aliunde nisi bonorum dominio homines gaudeant, facilè socordia torpescunt, quin etiam ad familiam constituendam atque conservandam præcipua deest conditio.

Quapropter hi omnia libertati individuali adscribunt; laboris libertas omnes libertates secum feret; unusquisque homo, unaquæque res suum officium ordinatè adimplebit. Egenus diviti adhærebit propter necessitatem, sicuti dives egenum quæret, ut suas facultates colat, atque administret; productor consumptorem adibit et vicissim, ut exinde harmonia illa exurgat, quam Fredericus Bastiat tanto argumentorum molimine adstruere, tanta grandiloquentia extollere nuper nitebatur; quasi hæc harmonia ex creatione abs dubio proveniens, immoderata hominum libertate non possit non perturbari! ; quasi rerum omnium concentus á divina providentia constanter procuratus, non compleatur tantum in ordine morali, in quem totus materialis naturæ ordo portendit!

At hujusmodi systemati vitio vertitur, quòd, cum omnia laboris industrialis libertati relinquat, per concursum et emulationem debiliores sibi ruinam et interitum afferant, potentesque evadant potentiores, quia libertatis gratià vires suas majori effectum explicant, et faciliori processu adaugent; donec omnes opes in paucorum manus coacervantur, pauperibus in dies multiplicatis. Divitiarum præterea cupidinem nimium excitat, ex qua homines immisericordes ac crudeles fiunt.



V.

Ambo in hoc sociali bello contententes, ad principia æconomica statuenda doctrinam á philosophia sensualista desumunt, et theorias quæ anglicæ scholæ, ut dicunt, adscribuntur, nimio studio professi sunt.

Labore ceu bonorum omnium fonte, in quantum hominis est, considerato, materialem necessitatem tamquam unicum laboris motivum agnoscunt; toti propterea in eo sistentes, ut ejusmodi necessitates multiplicent 1.º ad hominem activum reddendum, 2.º ad copiosorem in mundo productionem obtinendam, 3.º ad civilitatem, quæ eis arridet, promovendam.

Huic quidem theoriæ, omnibus, quæ ex theologia ei imputari possunt, et quibus æconomista Say dum satisfacere tentat, oleum et operam perdit, prætermittis, culpæ tribuitur, quòd per indefinitam necessitatum excitationem major quidem materialium bonorum summa producitur, sed divitum dumtaxat commodo, quin operarii aliud præter laboris ac miseriæ augmentum percipiant. Socialistæ, ut vitium hoc devitent, quæstionem de opum distributione agitant; atque hoc opus, hic labor est.

Præterea utrumque systema in hoc peccat, quod nimirum principia impossibilia profiteatur; communismus, nempe, æqualitatem omnimodam, individualismus verò politicam tantummodo æqualitatem, sed absolutam in unoquoque homine libertatem, ipsius socialis naturæ ratione non semper habita.

De jure quoque et auctoritate non recta illis inest sententia; nam communistæ sicut et individualistæ, humanam naturam atque personalitatem unicum omnium jurium, et, quod magis exhorreas, omnis legis moralis

fontem assignant; ex quo non mirum, si deprehendant omnes homines inter se perfectè æquales esse debere, cum omnibus communis sit natura. Individualistæ tamen, æqualitatem civilem atque politicam solummodo admittunt; cum socialistæ, principium á se laudatum ulterius evolventes, æqualitatem socialem appetant, quæ quidem, si logicæ leges valeant, non tantum in rebus possidendis, sed etiam in omni associatione, quæ ex natura inter homines constituatur, familia non excepta, locum habere debet.

Non igitur mirum, si in utroque auctoritatem ut principium morale ab hominis voluntate independens admittere detrectetur. Ordinem quidem invocant, sed licitum atque etiam laudabile illum perturbare, ut, qui prævalere possit, suis aspirationibus satisfaciatur; robur armatum condemnant, nisi ad propria jura tuenda cæteros destruere oporteat, mortis pœnam exhorrent, et populos integros utopiis et dominationi suæ contradicentes mactare non dubitant.

VI.

Hoc etiam inter se habent commune, ut religionem vel parvipendant, vel labefactent, vel omnino de medio tollant. Si Deum admittunt, nullam ei de mundo providentiam assignant; omnia jura officiaque, omnem societatis constitutionem atque moderamen ab hominum voluntate profluere, atque ad ipsorum vota immutari posse autumant. Individualistæ aliunde catholicismum libertatem ad nonnullos in humano commercio contractus restringere, atque potentis vires, ne debilem opprimat, cohibere non æquo animo ferunt; socialistæ verò eo quod ordinem per statutas hierarchias in societate tutetur, atque proprietatis jura religionis lege commu-

niat, infessissimi ei declarantur hostes. Si omnes eorum conatus in hoc contraherentur, ut certè quidem pauperum necessitatibus remedium inquirerent, et à potentis violentiis redimeretur egenus, nulla potior ad id consilii doctrina, quam catholica erat adoptanda; at eorum mens atque propositum illud affectat, ut pauperum et operarum turbas in opulentos excitent, in constitutionem societatis insurgant, donec ea tandem eversa, super ejus ruinam cupidinem suam expleant. Gentem igitur proletariam docent omne ordinis elementum, pœnas multatorias, omnia societatis vincula atque munimenta, familiæ structuram, patriam, omnem auctoritatem, vel ipsum Deum execrare: quæ omnia ipsos longè à religione abripiunt, ita ut horrendum illud pronuntiare non dubitaverit Proudhon *in systemate contradictionum. Recede hinc, spiritus commentitie, Deus imbecilis, regnum tuum jam periit; victimas tuas apud belluas quære.* Et alibi: *Deus est stultitia et abjectio, Deus est hypocrisis et mendacium, Deus est tyrannis et miseria, Deus est ipsum malum.*


Inauditum tamen et quod magnam insolentiam redolet, apud individualistas invenies, ipsos in catholicismo communismi fovendi atque statuendi vitium, nescio qua via, deprehendisse. Hanc calumniosam assertionem ut probeant, tam ex Scriptura quam ex S. S. Patribus perperam monumenta adducere tentant, historiæ ecclesiasticæ facta, atque etiam quæ ad hæreses pertinent, quasi Ecclesiæ intersint, incongruo apparatu congerunt, sed irritò conatu.

VII.

Ex sacris litteris illa in medium proferunt loca, quibus omnes homines tamquam fratres nobis in amo-

rem commendantur, et in quibus superiorum elatio atque violentia reprobatur, præscribiturque humilitas; sententias nos monentes alteri præstandum quidquid nobis præstari velimus; Jesu Christi effata se ad evangelizandum pauperibus missum declarantis; frequentes comminationes, quibus in divites invehitur, atque eorum salutem constanti periculo obnoxiam prædicat, et quæcumque itidem distinctiones, et hierarchias condemnare videntur.

Patrum verò atque scriptorum ecclesiasticorum testimonia studentundenam eruant, ut, figmentis suis adstipulantes, probent 1.º Ex jure naturali nullam proprietatem esse admittendam, Clementem Romanum præsertim auctorem præmittentes, cum in epistola quarta, ex qua cap. *Dilectissimi* in Jure desumptum, ait: *et sicut non potest dividi aer, neque splendor solis, ita nec reliqua, quæ communiter omnibus data sunt ad habendum, dividi non debere, sed habenda esse communia, unde et Dominus per prophetam loquitur, dicens: ecce quam bonum et quam jucundum habitare, fratres. in unum.* Cui quidem Aug. videtur suam sententiam adscribere super Joan. illa verba scribens, quæ in cap. *Quo jure defendis*, translata sunt: *pauperes et divites una terra supportat. Dominus de uno limo fecit et pauperes et divites. Jure ergo humano dicitur, hæc villa est mea: hæc domus mea est.* 2.º Posita catholica doctrina et historia de proprietatis jure, nullo pacto ipsam á natura originem ducere probari posse: nam si, dicente Sancto Clemente in cap. citato, *per iniquitatem alius hoc dixit esse suum, et alius istud, et sic inter mortales facta est divisio*; si, sacra Pagina testante, *cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum*, postea verò, cum peccatum in mundum intravit, Abelem cum ovibus suis, Cainum verò cum propriis ex agricultura fruc-



tibus, Abraham et Lotti substantiam communem dividere, ut jurgia et rixas vitarent, comperimus, planè deducitur ex jure naturæ non posse procedere quodquod hominum vitio tribuitur. 3.º Proprietatem non mirum si à S. S. Patribus nonnumquam uti veram usurpationem traduci: *natura*, inquit Ambrosius in lib. de Officiis, *omnibus in commune profudit. Sic enim Deus generare jussit omnia, ut pastus omnibus communis esset, et terra foret omnium quædam communis possessio. Natura igitur jus commune generavit, usurpatio vero fecit privatam.* D. Basilius vero Hom. in illud Lucæ «*Destruam horrea mea*» Si quis, ait, *loco in theatro ad spectaculum occupato, deinde ingredienti arceat id sui ipsius proprium ratus, quod ad omnium communem usum proponitur, tales hujusmodi quoque divites sunt.* Eodem sensu sed vividiore sermone S. J. Chrisostomus dicit in Hom. 1.ª de Lázaro: *Hoc item et de divitibus et de avaris cogita: Latrones quipiam sunt vias obsidentes, res praetereuntium rapientes, velut in speluncis ac foveis subterraneis, aliorum facultates in suis cubiculis effodientes. Ne igitur illos beatos dicamus propter praesentia, sed miseros propter futura.* Et in homilia 2.ª *Testimonium enim vobis proferam, dicit, quod non solum rapere aliena, verum etiam tua non impartiri caeteris, et rapina sit ut fraudatio et spoliatio.* 4.º Proprietatem esse reprobandam, eo quod destruat æqualitatem, sententiam S. Clementi attribuunt, cum in loco antea memorato: *Per iniquitatem, inquit, alius hoc suum esse dixit, et alius illud; et sic inter mortales facta est divisio.*

Contendunt denique tranquillitati publicæ proprietatis institutionem non esse fulcimento, Chrisostomum demonstrasse illis verbis in orat. de S. Philogonio: *Meum illud et tuum est frigidum verbum, et quidquid*

malorum in vitam nostram invehens, innumeraque gignens bella.

Cætera omnia, quæ ex scriptoribus catholicis desumpta, Fleuri, Bossuet, Fenelon atque etiam Pascal, indigesta mole obtrudit Villagardelle in sua *Idearum socialium historia*, missa facimus. Ad facta vero quod attinet, tam individualistas quam socialistas illis omnibus, quæ ex Ecclesiæ Hierosolimitanæ vivendi ratione, ex familiarum religiosorum regulis ac ex administratione à Jesuitis in coloniis Paraguay, Orinoco, Sonora inducta et aliis magno verborum fausto, sed Logicæ egestate abusos fuisse, quisquæ facilè sibi persuadabit.

VIII.

Attamen cum à catholicismo argumenta exquirunt, ut vel ipsi odium comparent, vel suas fictiones tueantur, aëreo fundamento ædificant, atque structa moles sponte sua corrui. Cum catholica veritas mediam inter utrosque teneat viam, si ejus doctrinas huc illuc detorqueant, erroneæ abs dubio ex opposita regione videbuntur, sed in suum locum restitutæ in tuto manebunt.

Proprietatis jus in sacris paginis passim asseritur, uti ex Patriarcharum historia, ex populi Dei politia, ac præcipuè ex septimo decalogi præcepto extra omne ponitur dubium; quam doctrinam SS. Patres, theologi omnes, catholici scriptores, ipsa denique Ecclesia non solum sartam et tectam conservavere, sed et mirificè illustratam nobis exhibent.

Ut primævam rerum divisionem explicent, creationis historia præ oculis habita, docent hominem à Deo in rectitudine creatum, atque etiam extra naturam donis carissimis cumulatum, in universam animam viventem dominium recepisse; et omnem herbam afferentem

semen super terram omnisque agri ligni fructus ei ad vescendum concessos. Attamen cum á Dei lege defecerit, expiationis sententia ei fuit injuncta, atque ex ejus condemnatione terra maledictionem experta, in laboribus ipsi victus eruendus fuit omnibus diebus vitæ suæ. Hinc laboris necessitas, ut utilia vitæ non spinas et tribulos, quos jam sponte sua germinatura erat terra, produceret; atque cum labor adjungendus esset, ut fruges haberentur, aliquam portionem cuique homini occupare et propriam reddere, ut in ea sudores suos insumeret, fuit necesse. Jure igitur meritoque dici potest, proprietatem ex hominis creatione non fuisse inductam, sed ex his, quæ propter ejus peccatum evenerunt, ortam. Non inde tamen á natura hominis dissonum censendum proprietatis jus, nam quod ex noxa primigenia protraxit originem, cum ipsius naturæ inhæreat, naturale quoque dicere fas est.

IX.

His ritè perpensis, non mirum, si Div. Augustinus á jure humano dominium ortum habuisse doceat, cum propter hominum vitium supervenerit, et humanis legibus moderetur. Ad Sanctum Clementem quod spectat, ipsum de proprietatis jure non disserere facile ex levi inspectione patet; nam totus in eo est, ut clericos ad communis vitæ rationem Apostolorum more adhortetur.

Si deinde quo modo, sententia catholica ac proprietatis historia, ut in sacris paginis recensetur, admissa, domini jus ipsam naturam habere auctricem demonstrare velimus, non inficiabimur nonnullos scriptores, inter quos Angelicus eminet, proprietatem jure tantum gentium innitti sensisse, quin tamen á jure naturæ abhorruisse umquam dixerint, sed potius ab ipso primum

fundamentum mutuare. *Communitas rerum*, inquit Div. Thomas in secunda secundæ, *attribuitur juri naturali, non quia jus naturale dictet omnia esse possidenda communiter, sed, quia secundum jus naturale non est distinctio possessionum, sed magis secundum humanum conductum*. Ex hoc cuique notum fiet, quo sensu cum Div. Thoma nonnulli proprietatem á jure gentium derivent, alii verò, ut inter recentiores sæpe fit, juri naturali eam adscribant, quoniam rem originariè considerant, neque de legibus proprietatis modum determinantibus quæstionem sibi præstituunt.

Illa præterea utriusque generis radicalistæ magna aviditate aucuparunt, quæ á SS. Patribus prolata sunt, vel proprietatem quodam modo reprobantes, vel in divites nimio calore invehi speciem ferentes. Res tamen nullam facessit difficultatem; nam etsi, ut genuina illorum testimonia traducantur, ejusmodi saltem illud Ambrosio tributum fere non censetur, adest in promptu recta explicatio; nam vel hoc tantum adstruunt proprietatem post peccatum inductam, ideoque á gentium jure solummodo valorem desumere, aut quod sæpius contigit, non de divitum dominio in res suas agunt, sed de earum usu, onus illis incumbens, ut pauperibus impertiantur, admonentes, et propter ejusmodi obligationis oblivionem acriter objurgantes. Sic Div. Basiliius ad testimoniæ calcem ait: *¿Cur tu abundas, ille vero mendicat, nisi ut tu bonæ dispensationis merita consequaris, ille vero patientiæ præmiis coronetur?* Eodem sensu S. Joan. Chrisostomus ita loquitur: *Et rursus alibi dicit Ecclesiasticus: Elemosynam pauperis ne defraudes: qui vero spoliat aliena tollit.* ¿Quisnam vero Div. Chrisostomo communismi notam inurat, qui eloquentiæ suæ fervore in homiliis ad populum antiochenum habitis, adeo furtum execratus est? Qui præ-

terea in Hom. quinquagesima quarta in Math. modum eleemosynæ elargiendæ, et quantitatem erogandam determinat? Qui divitias non per se malas, sed malum earum usum constanter profitetur?

Æqualitatem quidem, quam communistæ absolutam tuentur dari non posse, qui non dissipere velint, fateantur necesse est. Homines etenim origine atque destinatione æquales oriuntur; natura tamen et diversa vitæ quoad conditionem privatam eos in æqualitate subsistere numquam patientur, et quisquis, natura repugnante, omnes eodem statu fortunaque donare vellet, in dolium perforatum aquam infunderet.

Si per iniquitatem, testante D. Clemente, *alius hoc suum esse dixit, et alius illud*, ad primævam noxam hoc dictum referri putandum est, nisi alio sensu prolata verba interpretentur, quod nempe, crescente hominum multitudine, rerum divissio, tamquam necessaria ad discordias, rixas, malæ cupidinis artes, atque iniquitates quamplurimas vitandas fuerit spectata. Cui quidem interpretationi nequidquam adversatur Chrysostomus, asserens meum et tuum frigida verba, copiosam malorum segetem in mundum invexisse; sed hoc ipso rerum divissio necessaria deprehenditur, ut collisiones et simultates ex avaritia ortæ, minuerentur. Sed præterea, dum in oratione laudata pro S. Philogonio, vitam beatam summis laudibus extollit, omni dissensione immunem præsefert ex hac præsertim causa, quia nulla inter cœlites differentia eadem beatitudine in commune perfruentes.

X.

Missa facere oportet quæcumque Villagardelle in idearum socialium historia à scriptoribus catholicis

magna confusione, omnia susque deque dando, congerit ex Anglo Thoma Moore, ex Bossuet, Fleuri, Fenelon atque etiam ex Pascal, qui juxta ipsum in nullo á catholicismo deficit. Ex his omnibus meminisse sufficiat Bossuetum, qui Patrum doctrinam superius expositam de rerum distributione agens, in sacra politia paucis descripsit de Moyse loquens: *Moyse in possessorum memoriam revocat terram uti matrem et nutricem omnium hominum esse reputandam; neque permittit ut propter distributionem in tempore factam jus naturæ primitivum oblivioni tradatur.*

Neque historicus Fleuri, quo adeo communistæ abutuntur, aliam exhibet doctrinam. Sic enim in Historia ecclesiastica de vitæ ratione, quam primi fideles Hærosolimæ instituerant, scribit: *Omnis fidelium multitudo non habebat nisi cor unum et animam unam. Omnes in eo conveniunt, nihil illis privatam, sed omnia in communi habuisse, adeo, ut inter eos nullus daretur pauper. Nam quicumque ex eis vel agros vel domos possidebant, illico venundantes pretium partum ad Apostolorum pedes deponebant. Hoc modo bonis renuntiantes, ad Salvatoris nostri consilium de omnibus relinquendis sequendum se paratos volebant. Propterea ea quæ inter illos vigeat charitas, tamquam tessera ad Christi discipulos distinguendos spectabatur.* Eandem sententiam scriptor perelegans, christianorum mores describens, profert.

XI.

Ad exempla vero, quæ, ut errores suos gloriosa donent prosapia, socialistæ ex historia ecclesiastica exhibent, vel quisque in rebus christianis mediocriter versatus, illico respondebit. Atque, ut ab institutis re-

ligiosis ordiamur, communismum eis imputatum non esse neque absolutum, neque obligatorium, neque á societate generali independentem é vestigio statuere debemus. Ejusmodi instituta in primis nihil adversus familiæ institutionem afferunt; nam etiamsi ex eis commendetur cœlibatus, atque per voluntariam tantum individuorum aggregationem succrescant, hoc non nisi pro singulari œconomia profitentur; ut nempe universa lege christiana, quæ omnibus incumbit, completa, ad majorem perfectionem per consiliorum observationem aspirent. Personam moralem efformant propriis gaudentem juribus. In eis individuum non habet quidem proprietatem, sed habet societas, quæ ad instar individuorum de propriis rebus non disponit, nisi sub legibus, quæ in statu et in Ecclesia vigent.

Neque etiam, ut nuper vidimus, allatis Ecclesiæ hierosolimitanæ exemplis quidquam catholicismi ossores aut depravatores proficient. Illa siquidem communis vitæ ratio non ut principium sociale admittebatur, sed ex voluntate cujusquam omnino libera, absque præstituta lege aut ullo expulsionis discrimine, uti ex his quæ de Anania et Saphira narrantur, apertè patet. Per bonorum renuntiationem et in communi administrationem neutiquam primævi christiani aut divitiarum incrementum, aut voluptatum fruitionem, aut majorum commoditatum acquisitionem inquirebant, sed ex eo, ut per Christi amorem pauperes fierent, omnia dimittebant; hoc alterum et præcipuum christianos inter et socialistas discrimen. At, quod non est prætereundum, ubi primum fidelium excrevit numerus, statim dissensiones, querelæ atque simultates exortæ, illam vivendi rationem desserere fecerunt. Christianismus equidem ad communem inter homines vitam viam parare videtur; attamen leges suas ultra naturæ humanæ vires et offi-

cium non extendit, sedulo inter præcepta atque consilia statuta distinctione.

Non magis opportunè, neque majori profectu exemplum administrationis coloniarum à Jesuitis inductæ nobis objicitur. Nam et illorum locorum rectores supremo Hispaniæ gubernio erant subjecti, et bona non omnino communia, sed unicuique juxta circumstantias impertita. Præterea de populis incultis agebatur, qui nonnisi ad laborem materialem sub rectorum proposito atque moderamine erant utiles.

XII.

Sed quo magis stupeas, etiamsi stomachum moveat, animadvertendum est præcitatum Villagardelle, postquam Jesuitarum agendi rationem commemorat, ut novo argumento socialistarum erroribus adstipuletur, statim in religionem cæco furore debachari, aliunde administrationem maxime christianam in America secutam, ut exemplum proponens, aliunde christianismum et omnem religionem diris devovens. Juxta hunc impiissimum auctorem pernicioso influxui, quem in animos credulorum viri religiosi exercent, totis viribus obistere plurimi interest. Ad hoc populorum illustrationem, quæ ipsi lubet, esse omni consilio præparandam, omnique impendio propagandam, quoniam hoc tantum pacto errores disjicientur, quibus dominationem et victum quærunt tot, ut ipse appellat, honorabiles speculatores.

Philosophos quidem in catholicam religionem cum magno emolumento bellum movisse; sed ipsos non satis hostiliter se gessisse, adhibitis nonnumquam temperamentis, eo quod et ipsorum intersit populum aliqua religione religari, ut eorum ambitioni deserviat. Sed nullatenus mo-

rem ulli religioni gerere oportere, quæ ad duo millia annorum interminabilem malorum seriem produxit, ac præterea doctrinis omnium impiorum Voltaire, Diderot, Holbach &c. ab omni sensu religioso vacuis mordicus esse insistendum.

XIII.

Hac de causa, dum orationem ordier, præmonebam tam socialistarum quam individualistarum systema catholicismo esse infensum. Utrique ad catholicam doctrinam confugere possent, illaque præmuniri, ut adversariorum impetus repellant, quia catholicus jus proprietatis sartum et tectum cum individualistis vult, et nihilominus socialistarum placitis aliquid consentire videtur, rerum usum inter homines per eleemosynam docens. Sed cum ab origine vitiosa nempe à radicalismo utrumque procedat; cum ab homine tantum, excluso Deo, omnia jura in societate derivet, religionem despectui habere et catholicismum oppugnare pronum est.

Ecce quare utrumque reprobatum inveniamus in sapientissimis epistolis à Beatissimo Papa nostro Pio IX datis, qui, postquam socialismi ac communismi pestem, *uti horrendum et luctuosissimum, ac vel ipsi naturali rationi et juri maxime adversum systema, quod cum maximo totius humanæ societatis detrimento et exitio propagatur*, anathemate in sua prima Encyclica confecit; sensualisticam æconomiam expresse reprobavit Encyclica «*Quanto conficiamur*» illis verbis: *Nunc autem præterire non possumus alium perniciosissimum errorem et malum, quo hac nostra infelicissima ætate hominum mentes animique miserè abripiuntur ac perturbantur. Loquimur nempe de effrenato ac damno illo proprio amore et studio, quo non pauci homines, nulla plane proximi sui ratione habita, pro-*

prias utilitates et commoda unice spectant, et quaerunt: loquimur de insatiabili illa dominandi et acquirendi cupiditate, qua, honestatis justitiaeque regulis omnino posthabitis, divitias quovis modo cupidissime congerere et cumulare non desinunt, ac terrenis tantum rebus assidue intenti, et Dei, religionis, animaeque suae immemores, suam omnem felicitatem in comparandis divitiis et pecuniae thesauris collocant.

Equidem homines, juxta propriam et diversam cujusque conditionem, suis laboribus necessaria vitae praesidia sibi comparare debeant, seu in litteris ac scientiis excolendis, seu in artibus tum ingenuis, tum vulgaribus exercendis, seu in publicis privatisque muneribus obeundis, seu in rerum commercio habendo; sed omnino oportet, ut omni cum honestate, justitia, integritate et charitate agant, et Deum praeculis habeant, ejusque mandata et praecepta diligentissime observent.

En doctrina catholica adeo injuriosè aestimata.

XIV.

Attamen, ut de his omnibus facilius intelligatur catholicismi sententia, eam fusiùs exponemus, aliqua cum adversa doctrina collatione facta.

Homo necessitatibus ex natura sua subjacet: ut ab eis subtrahatur, laboris processus est instituendus, quo ad majorem, quæ fieri possit, felicitatem perveniat. Tria igitur in praesenti quaestione sunt praeculis habenda: necessitas, felicitas, labor. His igitur idæis nostram concludemus expositionem, aliqua deinde consecutaria derivando. Aureum illud, quod in Geneseos libro continetur, numquam aëconomiae publicæ tractatores praeterire debebat: ibi Deus homini edicit in peccato ip-

sus maledictam terram : spinas et tribulos ei germinaturam , et non nisi in sudore vultus sui obtenturum panem , donec reverteretur in terram , de qua sumptus est.

En rectæ doctrinæ summa , omnem necessitatum originem , bonorum temporalium objectum , atque laboris rationem explicantis. Simul ac terribilem sententiam in hominem pronuntiavit Deus , sub necessitatibus et ærumnis tam corporis quàm animæ , libertate tantum exempta , qua rectè utens in ordine morali reparationem assequeretur ; homo cecidit , et ad laborem continuum fuit coactus , quoniam necessitates non solum permanentes sunt , sed in dies renovantur et accrescunt. Labor propterea , sicuti et necessitas in homine expiationis rationem habent , ac simul reparationis sunt initium.

Necessitas , ubi primum ingravescit , paupertatem et miseriam gignit ; funestam calamitatem , à qua hominum genus numquam eximitur ; immò verò quo majori societates cultura et prosperitate materiali gaudent , et præsertim , si necessitates fictitiæ , ut anglopluli volunt , in opulentis adaugeantur , eo plus luctuosa pauperismi plaga extenditur et invalescit. Notandum hoc certè ac numquam prætereundum , ex quo populos patet non in eo totos futuros , ut bonis materialibus abundant , sed quo magis industriosi et opulenti fiunt , eo majori cura ad inopum miseriam sublevandam incumbere debere ; quia divitiæ cum affluunt , nisi earum influxus religione atque morali sensu temperetur , homines insolentiores reddunt , et cordis affectus sæpissimè subvertunt.

XV.

Aliam etiam difficultatem necessitates producant : nam vel propter diversum earum gradum , vel ex diverso laboris exitu , quem ad eas explendas insumimus ,

homines inæquali sorte donantur, quæ quidem inæqualitas á multis ut verum malum consideratur. Attamen, juxta catholicam sententiam fortunæ inæqualitas inter homines, si velut malum censenda, de ejus abolitione omnino desperandum, utpote quæ in præsentis hominis conditionem et societatis naturam consequitur. Inæqualitas enim, sicuti et inopia, non sine Dei consilio humanitati insidet, quia per illam diversi in societate gradus determinantur, ut homines in unum coalescant, atque necessarium inter illos commercium instituat. Quoniam sicuti astra diversis conditionibus prædita in universum conspirant, ita homines propter inæqualitatem in consortium adunari opus habent.

Ceterum inæqualitate in ordine materiali tamquam irreformabili spectata, in ordine tamen morali æqualitatem catholica doctrina inducit atque propugnat; nam in primis tam potentem quam pauperem de divitiarum contemptu monet, quoniam neutri, nisi ad rectas hominis necessitates inservire debent. Is cui opes affluunt, cor non apponat; et qui non habet, paupertatem tamquam ærumnam non consideret, si ei ad vitam non desint necessaria. Rursus illa Geneseos sententia in sudore vultus panem comedendum docens, opulentos inter et inopes distinctionem tollit; propterea quod non solum pauperi ex necessitatis natura, sed omnibus indiscriminatum ex pœna ac divina intimatione labor incumbat. Sic pauperes sibi, divites sibi aut aliis, atque utrique ad implendum supremi Legislatoris præceptum, labori dediti vitam agere tenentur. Sic pari conditione omnes evangelica doctrina spectans societatis clases in proximo esse facit, omnes confundit, amicabile et gratum hominum consortium reddit, atque inde sponte sua ordo in societate exurgit imperturbabilis.

Et hæc quidem in christiana lege ex justitia vigent;

nam post justitiam charitas supervenit, virtus præcellentissima, non ambitiosa, nec quæ sua sunt quærens, atque omnes inæqualitates, omnes asperitates in societate dissimulat suavesque facit. Si terra adamussim æquaretur, cito fieret non solum impervia, sed etiam inhabitabilis. Sicuti montes et valles sibi mutuo sunt usui, ita in christiana societate uniuscujusque statu et conditione permanente, mutuam sibi præstat auxilium, et charitas est veluti spiritus omnia penetrans, omnia conformans, omnia circumiens, ad instar aëris, qui terram involvens atque circumdans, puros collis halitus in vallem et suavem vallis fragrantiam in collem transfert.

XVI.

Ex his quæ nonnisi summis labris attigimus, jam facile colligitur egenis laboris motivum in his, ut vitæ sustentationem sibi suisque honeste consequantur; ut suis educationem filiis, et statum præsent; ut rem familiarem sine avaritia promoveant; ad meliorem conditionem sine ambitione aspirent; ut tandem in diebus procedentes, quietem, et independentiam cum bono nomine sibi comparent, proximis in quantum facultates suppetunt beneficia impertiendo; in his, inquam, inopibus laboris tota sistit ratio. Ad divites autem quod spectat, morale laboris et perfectionis principium eos adigit ad studii et inceptis, ad quæ panem insudantibus non vacat, operam navandam, ut humanitati et patriæ utiliores evadant; ut scientias, artes et beneficentiam promoveant. Hæc doctrinæ summa, quæ juxta christianismum viam ad civilitatem, felicitatemque temporalem pandit.

Apud antiquos non aliter ac nostro tempore populi

non nisi sobrietatem, temperantiam et fortitudinem ad necessitates proprias comprimendas perpetuo conatu colentes, potentiam et gloriam adepti sunt. Necessitatum multiplicatio, primo cupidos, ambitiosos, injustos. deinde molles, libidinosos, sensualismi ac pauperismi plagis confectos effecit, donec majori in dies dissolutione affluentes, tandem perierunt; sed ¿quo pacto abnegationem et continentiam societates docebimus? Hic obviam venit quæstio, quæ non nisi sociabilitatis humanæ fine præ oculis habito, solvi potest. Apud omnes qui recte de societate senserunt, constat, aliquid in societate promovendum, quod ipsam societatem prætergreditur; illudque extra ipsam esse quærendum. Huic transcendentali quæstioni doctrina evangelica plenam atque profundissimam responsionem adjungit. Societates super terram oriuntur, vivunt, atque esse desinunt. Præsentis vita earum destinatio circumscribitur, at hominem integrum ipsæ nec assumunt nec perficiunt. A viventium societate decedenti altior manet finis, ut nempe per eminentiores facultates ad Deum elevetur, eique conjunctus, futuram vitam bonaque ineffabilia invisibili in mundo hauriat. Personalitate, quæ individualitatem, identitatemque perfectam importat, gaudentes, diversum á statu vel civili societate finem habere debemus.

XVII.

E contra sensualistica schola nihil aliud quam physicam hominis perfectionem intentans, moralem profectum in societate á divitiarum copia ortum habiturum; quia quisque, dum bonis materialibus ditatur, majorem induit dignitatem, atque ab artium, scientiarum industriæque progressu, intelligentiæ evolutione atque á politicarum institutionum reformatione optimos mores pro-

venturos enixe tuetur, illaque omnia ideo omni pretio etiam cum aliquarum generationum detrimento procuranda.

Quàm perniciosæ doctrinæ! Quàm longe á veritate et humanitatis felicitate aberrant! Num fiet ut virtus per materialium bonorum promotionem et abundantiam consequatur, cum potius sæpissime materialis utilitas et agendi rectitudo mutuó opponantur? Virtus per virtutis disciplinam discitur, et non aliter; qua de causa christianismus primum societatis objectum in virtute colenda statuit, et materialem prosperitatem morali profectui subjectam spectat.

Nec minoris est, ut laboris leges secundum supremæ Providentiæ consilia determinantur. Labor sine morali proposito atque ad necessitatum factitiarum satisfactionem continuamque promotionem ad degradationem et miseriam solummodo perducit. Hinc sine termino egoismus, insatiabilis cupiditas, publicæ fortunæ in paucorum manus acumulatio, pauperismus, omnis generis plagæ. Si ad laborem tamquam unicam prosperitatis originem potentes confugiunt, ipsum quidem multiplicabunt, sed in proprium vertentes commodum, excesivum et sine remuneratione pauperibus reddent. Labor non solum proprietariis ipsum disponentibus, sed operariis præstantibus frugis debet esse. Juxta morum præcepta ordinatus labor, et stipendia ex justitia, non ex casu determinata consilia á divina Sapiencia apprime adimplent. Si evangelica lex prævaleat, continuum ac fœcundissimum mutui auxilii, officiorum, remunerationis, restitutionis atque proventuum á charitate depuratorum commercium producet labor.

XVIII.

De laboris legibus œconomistæ disputantes, pronum est, ut de incolarum multiplicatione, specieique humanæ propagatione quæstionem attingant; nam si omnia a labore speranda, et per laborem perficienda, multiplicationis incolis, ut labor adaugeatur necesse est. Christianismus igitur populi propagationem non impedit, sed ei favet licet mediis tantum moralibus. Publica administratio in hoc nempe ut gentem validam et generosam, necessariis provisam, exultam, industriosam, morigeratam, non tantum numerosam, etiamsi miseram et immoralem habeat, debet admitti, quoniam habitantium numerositas non certò tamquam populi prosperitatis indicium, causa simul et effectus spectanda.

Ad hoc, ut populus crescat, et bonis moribus instructus sit, matrimonium recte sancteque contractum præcipue conducit, quod quidem Ecclesiæ catholicæ maxime semper curæ fuit adeo, ut sapientiores in hac re leges nequisquam edere valeat aut valuerit. Clericorum ac monachorum celebs vita, quam hodierni ei œconomistæ errori atque culpæ vertunt, tantum, ut habitantium multiplicationi sit impedimentum abest, ut ipsam potius mirifice promoveat; quia si ad congruam populi numerositatem matrimonii sanctitas atque stabilitas optima censetur ratio, ad vitia, quæ matrimonio intervenire possunt corrigenda, et sacerdotum catholicorum iudicium, et religiosarum personarum exemplum quamplurimum inservit. Divinus certe ad matrimonium impositus ordo à sacerdotibus conjugatis non facile defendi posset, cum iisdem difficultatibus ipsi implicarentur.

Nihilominus à christiana doctrina abludunt, qui

nullam de distributione divitiarum curam habentes, illam libertati omnino committunt. Fas illis videtur quidquid externo jure permittitur, cum prius leges ad sui placitum potentiores tulerint. Nullo ad conscientiam secundum divinas præscriptiones tantum efformandam respectu habito in modernis societatibus, et in his præsertim, in quibus anglicorum doctrinæ profitentur, industria dives et potentissima perfecta legalitate gaudet coram innumeris operariis egenis atque impotentibus, et magna populi pars á paucis opulentibus et industriam altiori gradu exercentibus, vel sustinentibus potius, omnino etiam in existendo pendet.

XIX.

Olim quidem ex fortunæ ac præsertim honorum diversitate, consentiente religione, diversæ extiterunt dignitates; attamen illi optimates privatorum et patriæ commodo vacare debebant. Nonnulli ad populorum protectionem et securitatem sunt creati, atque sub tutela sua accipiebant prope castella commorantes, non quòd eisdem tamquam mancipiis uterentur, quoniam, si aliqui ex belli jure præsertim sub hac conditione ingressi fuerint, statim destinationis perpetuæ ad terræ culturam virtute servi, deinde proprietarii tandem deveniebant sub dominationis feudalis legibus. Præcellentia aristocratica etiam gavisa est Ecclesia, sed hæc sæpe sæpius ad hoc inserviebat, ut continua populis beneficia, protectionem nempe, instructionem, beneficentiam dispensaret. Deinde vero hæc clases auctoritate aut divitiis conspicuæ maximo reipublicæ erant profectui, ordinem et subordinationem statuantes atque conservantes; ac nonnulli præterea magnates, vel principibus, vel reipublicæ, ut specialia officia exercerent,

erant addicti. Ex eo patet clases antiquis temporibus existentes, quibuscum Ecclesia amico fœdere fuit conjuncta, nonnisi in populorum vel patriæ commodum fuisse constitutas.

Sed antiquis optimatibus, quos religio, bella politica aut virtus distinxerat, nova successit aristocratia, cui passim vel despotismus, vel crimen inhæret. Despotismus quidem in hoc principatu, quem militia quibusdam in populis exercet; crimen vero, dum agitur de proceribus pecuniosis, qui propter suam opulentiam tantum elevantur. Hi postremi non aliis sed sibi semper prospicientes, nulla charitate sed egoismo ducti, fœdalitatem despoticam oppresivam ex natura sua constituent necessum est. Speculationi propriæ omnino dediti, a nuper invectis civilitatis et œconomiae sensualisticæ sententiis patrociniū exposcunt, opibus suis quoquomodo conquisitis se communiunt, ac denique patriotismum invocant, quasi ad ordinem, tranquillitatem et patriæ salutem eorum immensa fortuna esset omnino necessaria. Hic fœdalismus in potentium beneficium, quorum mobile insatiabilis cupido, quorum cura facultatum suarum incrementum tantum cedit; et miseriam, subjectionem atque moralem degradationem in cæteris parit. Is, cui labor solummodo ad prosperitatem pretium habet, quamplurimum vult laborem sibi appropriare, operarum turbas undique collectas data disciplina reget atque in fœdam rediget servitutem.

XX.

Non tamen christianismum proprietatis jus aut tollere, aut instabile reddere dicet quisquam; quin immo illud cum ratio dictet, et moralis statuatur, à religione non agnoscitur atque consecrari non potest. Atque non in-

dividuale jus tantum, sed et familiare, ut ita dicam, in hæreditate præsertim consistens acerrime tuetur. Hoc tantum in præsentī quæstione cavendum, ne quis nimia libertate et facultatibus abutens, debiliorum substantiam devoret, atque eorum quæstu in immensum opes suas adaugeat. Tantum à proprietatis juris denegatione abhorret catholica doctrina, quæ potius nostro tempore culpæ tribuat collectivam proprietatem, quæ etiam ab humana natura originem et validitatem habuit, tamquam minus utilem habitam fuisse atque sublatam. Hoc etiam, ut magni fiat proprietatis quæ ex statuto habet instructioni et charitatis officiis inservire, à recentioribus œconomistis catholica doctrina constanter reclamabit.

At si de proprietatis, vel divitiarum usu sermo sit, christianus spiritualismus cum sensualismo œconomistico non consentiet. Non sordidas, sed delicatas, puras, elevatas voluptates inducet in dies, ut commodius sanctiusque peragatur vita. Apud catholicismum omnia ordinatim in suo gradu sistunt; atque propterea divitias non ad corporis delectamentum, sed ad animæ profectum; non ad hujus sæculi vanitatem et libidinem, sed ad futuræ vitæ gloriam per eleemosynam nobis comparandam concessas docet. Sunt quibus in sumptibus libidini ac vanitati obtemperare fas admodum est; immo luxum tamquam validum auxilium ad divitias adaugendas, atque ad inopum miseriam sublevandam admittunt tuenturque; at evangelica doctrina luxum interdicat, atque facultates in ipsum insumendas pauperibus distribui prædicat. Inter utramque sententiam quibusnam moralitas? ubinam socialium bonorum prudens œconomia?

XXI.

At non materialibus tantum bonis christiana æconomia consulit, sed spiritualibus maxime, utpote quæ inter misericordiæ opera, quæcumque ad spiritus bonum referuntur, pluris faciat. Publicam administrationem vult constanter pauperismo resistere, egenos ut Dei filios tractari, eorum physicis necessitatibus provideri; sed magis adhuc eorum excoli intelligentias voluntatesque ad rectam moralis normam christiana educatione conformari. Instructio tamen egenorum, sicut et cæterorum eis sua officia, non minus ac jura tradere, et generatim sanam atque utilem doctrinam complecti debet. Sicuti in divitibus reprehenditur egoismus, ut mitiores et liberaliores in pauperes fiant; pauperes itidem ab ipso abhorrere, omnem libidinem comprimere sunt docendi, ne magna profitentes, tandem defraudati, in desperationem incidant. His præterea Dei amor ac timor sedulo inculcandus; quia si divites his principiis ducti eleemosynam erogant, dignum et æquum videtur ut ex eodem motivo inopes grati, addicti, et divitibus obsequentes se exhibeant.

Cultura, quæ ad sensualisticæ æconomiae normam inducitur, homines inter se mutuo facit inimicos; nam cum homo juxta ipsam habendi, fruendique cupiditate tamquam suprema lege ducatur, æquo animo egeni ferre non poterunt ut opulentioribus cum forsitan minus laboris præsentent, opes suppetant, et vita eis ex voto deliciis affluens succedat. Hinc murmurationes, impatientiam, hostilitatem, aggrediendi conatus, revolutiones, denique omnia susque deque ferentes ortum habere. Quis impediat? In divitibus patres non vident, in quorum

manibus Deus opes congegisset, ut ipsas juxta modum aliis communicent; sed eos, ut speculatores spectant ex aliorum sudore ditiores in dies effectos, in eorum ruinam indefessi conspirant, et de ipsa prævalente gaudebunt. Socialis tamen moralis christiana é contra, communicationem divites inter et pauperes vi charitatis instituit. Igitur christiana revelatio cum ordinem in morali socialique mundo restituendum venerit, cum hominem ad Deum reduxerit, et secum omnia in pace composuerit, relationes multiplices, quibus socialis œconomia constituitur non poterat non ad rectam normam exigere. Omnia in hac cœlesti religione ad omnes homines inter se divites et pauperes, potentes et debiles amico fœdere conciliandos doctrina, præcepta, affectiones, exempla tam Christi, qui Deus pauper in mundo apparuit, quàm aliorum qui charitatis portentis insignes facti sunt, omnia certissime ac potenter concurrunt. Quem ipsius disciplina regit, numquam in desperationem aget miseria, quia bona Dei diligentibus disposita, superata morte, exspectat: numquam ei improbus labor, quoniam ex divina sententia, juxta meritum sibi injungi cognoscit: qui opibus potitus est, sibi eas proprio jure adæscit; at tamen ad ipsas indigentibus distribuendas ex amore trahitur, atque eisdem cor aponere nefas sibi ducit. En totam de jure proprietatis, ac de divitiarum distributione resolutam quæstionem: habes proprietatem quæ omnibus fit communis, quin proprietas inviolabilis esse desinat.

XXII.

Christianismus tantum ab eo, qui cor hominis cum suis aspirationibus, qui totum hominem cum suis socialibus affectionibus; qui societatem denique efformavit,

inductus, omnia secreta in humana natura pandit, harmonias in mundo constanter sustinet, omnibus necessitatibus occurrit, omnia problemata atque difficultates resolvit. ; Quàm sapienter dictum religionem christianam non æternam vitam solum, sed etiam præsentem, in quantum adest, beatam reddere! Doctrina immaculata, quæ ipsa veritas cum sit, perpetuò vivit, sæcula omnia superans, vicisitudinibus vel gravissimis prævalens, suam potentiam latius explicans, intelligentias nobis disjectis erroribus magis ac magis illu trans, in dies amabilior profitentibus, sicuti adversantibus terribilior! ; Quanto animi ardore ejus studium agrediemur! ; Quanto cordis amore ei mancipabimur! Illa duce, omnia nobis clara atque facillima, illa desserente, peritissimus in plano cespitabit, quod ex præsentem quæstione comprobatur. Hæc Evangelii, hæc Ecclesiæ catholicæ scientia: sublimis quidem et immensa.

Est sapientia quæ desursum est, ut verbis Jacobi Apostoli utar, pudica, pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens. Utpote quæ á divinis emanat, altissima intelligat necesse est: mundum idearum et mundum rerum complectitur, certisque principiis inter se conexis, supremo spiritum ordine in quo Deus prima veritas elucet, subnectit. Illam ergo alacri animo excolere prosequamur, quia hæc una nostram capacitatem adæquat, ejusque dignitatem conservando et promovendo, mirificè consulit. Illius condiciones et excellentias, dum operam ei addiscendæ navamus, nos præterire non debent, quia si desursum juxta Jacobi prælaudatum effatum est scientia, ardua certe quidem deprehendetur propter principiorum altitudinem et elementorum diversitatem, non tamen quæ animum despondere nos faciat. ; Quid improbus non vincit labor? Operam præterea eidem impensam Deus tamquam obsè-

quium refert acceptam, et suis, ut scientiarum Dominus, auxiliis præsto erit, intelligentiam indigentibus elargiendo, quia nescit improperare.

Scientia pudica et modesta, hoc est, gravis solidaque, non phantastica aut futilis, alumnos suos statim animum laxare et nugatoriis libris putidisque fictionibus tempus inutiliter terere non permittens. Videte igitur, alumni dilectissimi, gaudium Ecclesiæ et corona nostra, ne quis vos seducat per inanem scientiæ speciem. Sunt etenim pseudophilosophi *quibus mentem animumque non sapientia nostra, sed terrena, animalis*, uti Jacobus appellat, *non Deus sed Delius, seu potius Beotius, aut nescio quis alius inspirat vates*, totis viribus incumbentes, ut vivida atque sæpe poetica expositione juvenum præsertim phantasiam abripiant, mentemque fascinent: sed quid lectio sine doctrina prodest? Si scientiæ studio animos serio admovetis, non deerunt deliciæ, defatigatos tandem ipsa recreabit.

Est præcipuè suadibilis bonisque consentiens. Nemo ad ipsam accedat itaque nisi per animi docilitatem. Auctoritatis principium, quo gradu in ipsa emineat cognoscitis: pervicaces hæc scientiæ sanctuaria nullo modo capiunt. Aprehendite ergo disciplinam, probatissimi candidati, et nolite objicere eam, quia bonum est viro cum tulerit jugum ab adolescentia sua.

Præterea si bonis consentire debet hæc scientia à timore Dei incipiat necesse est, quia timor Dei expellit peccatum, ideoque ut sapientiæ initium et corona commendatur. Timori Dei igitur estote devotissimi, quoniam ei qui huic scientiæ insudat, Dei majestas ob oculos mentemque numquam non obversari licet, ut hac stella duce, inter erroris monstra scopulosque, per ignorantiae tenebras cursum tutus peragens, hoc cum Mantuano sibi statutum assumat.

Descendo, ac ducente Deo, flamma inter et hostes expedior.

¡ Oh si, dante Deo, desideratum portum ingrediamur, et altæ scientiæ arcibus, epulisque mereamur assistere! ¡ Oh scientia clarissima mihi! ¡ Quam dabimus pro te commutationem? Infinitus vere thesaurus es hominibus: qui te invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem á Domino.—Dixi.

Dorothea, es dicitur Deo, fuit in inter et hostes
 cogitavit.
 ; tui si, dante Deo, desiderium portum inarchia-
 nam, et alios seculis archiepiscopus, episcopus incedunt ad-
 sideret; tui seculis christus in in 1. Deum dicitur
 pro te committitur; habetis vero liberum de ho-
 mibus; per te invenit, invenit vitam, et dicitur se-
 culis a longis — tui.

FE DE ERRATAS.

PÁGINA.	LÍNEA.	DICE.	LÉASE.
6	16	fide	fida
8	21	est	sit
9	1. ^a	individualismus socialismus	individualistæ socialistæ
Id.	15	expeditam	expetitam
10	14	ceu	seu
Id.	28	resolutum	<i>resoluto</i>
14	11	multatorias	multatorias
15	20	habitare, fratres, in unum.	habitare fratres in unum.
16	25	nt	ut
19	14	reprobantes	reprobantibus
Id.	16	ferentes	ferentibus
20	25	Sed	Sic
24	14	inter homines	inter homines communem
25	28	His igitur	His nimirum
26	10	assequerentur; homō	assequerentur, homo
Id.	19	anglopluli	anglophili
31	12	admitti	adnitti
32	10	opulentibus	opulentioribus
33	22	incrementum tantum	incrementum, tantum
35	20	grati, addicti	gratos, addictos
36	30	tantum ab eo	tantum, ad eo
37	1. ^a	nductus	inductus
38	24	objicere	abjicere
39	1. ^a	flamma	flammam

TABLE OF CONTENTS

Page	Chapter	Page	Chapter
1	Introduction	1	Introduction
2	Chapter I	2	Chapter I
3	Chapter II	3	Chapter II
4	Chapter III	4	Chapter III
5	Chapter IV	5	Chapter IV
6	Chapter V	6	Chapter V
7	Chapter VI	7	Chapter VI
8	Chapter VII	8	Chapter VII
9	Chapter VIII	9	Chapter VIII
10	Chapter IX	10	Chapter IX
11	Chapter X	11	Chapter X
12	Chapter XI	12	Chapter XI
13	Chapter XII	13	Chapter XII
14	Chapter XIII	14	Chapter XIII
15	Chapter XIV	15	Chapter XIV
16	Chapter XV	16	Chapter XV
17	Chapter XVI	17	Chapter XVI
18	Chapter XVII	18	Chapter XVII
19	Chapter XVIII	19	Chapter XVIII
20	Chapter XIX	20	Chapter XIX
21	Chapter XX	21	Chapter XX
22	Chapter XXI	22	Chapter XXI
23	Chapter XXII	23	Chapter XXII
24	Chapter XXIII	24	Chapter XXIII
25	Chapter XXIV	25	Chapter XXIV
26	Chapter XXV	26	Chapter XXV
27	Chapter XXVI	27	Chapter XXVI
28	Chapter XXVII	28	Chapter XXVII
29	Chapter XXVIII	29	Chapter XXVIII
30	Chapter XXIX	30	Chapter XXIX
31	Chapter XXX	31	Chapter XXX
32	Chapter XXXI	32	Chapter XXXI
33	Chapter XXXII	33	Chapter XXXII
34	Chapter XXXIII	34	Chapter XXXIII
35	Chapter XXXIV	35	Chapter XXXIV
36	Chapter XXXV	36	Chapter XXXV
37	Chapter XXXVI	37	Chapter XXXVI
38	Chapter XXXVII	38	Chapter XXXVII
39	Chapter XXXVIII	39	Chapter XXXVIII
40	Chapter XXXIX	40	Chapter XXXIX
41	Chapter XL	41	Chapter XL
42	Chapter XLI	42	Chapter XLI
43	Chapter XLII	43	Chapter XLII
44	Chapter XLIII	44	Chapter XLIII
45	Chapter XLIV	45	Chapter XLIV
46	Chapter XLV	46	Chapter XLV
47	Chapter XLVI	47	Chapter XLVI
48	Chapter XLVII	48	Chapter XLVII
49	Chapter XLVIII	49	Chapter XLVIII
50	Chapter XLIX	50	Chapter XLIX
51	Chapter L	51	Chapter L